



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE ECCE VENIO* VENERABILI DEI SERVAE REGINAE

PROTMANN BEATORUM HONORES DECERNUNTUR. Ad perpetuam rei memoriam. — « Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam » (*Heb* 10, 9). Iesu Christi sectans exemplum, qui in mundum venit ut Patris voluntatem faceret seseque hostiam in crucis ara offerret, Venerabilis Dei Serva Regina Protmann, sui oblita, Domini voluntati oboediens vitam exegit suam neque dubitavit in cotidiano famulatu pauperum, aegrotorum Congregationisque quam condiderat, crucem baiulare, Christum sic testificans resuscitatum. Mulier haec, sanctitatis vitae operumque clara, anno fere MDLII in oppido *Braunsberg (Braniewo)* dioecesis Varmiensis orta est. Divitibus ex parentibus omnia accepit ipsa quae a puella quavis cupi possunt, sed undeviginti annos nata, pretiosam eadem invenit margaritam (cfr *Mt* 13, 45) atque a mundi vanitatibus suaque ipsa familia se subtraxit, ut ad Dei laudem adque apostolica opera se applicaret. Quibusdam cum sociis in paupertate quoddam condidit claustrum, ex quo sorores exire poterant ad misericordiae opera pro indigentibus praestanda; scholam quoque instituit ut puellae christiana disciplina colerentur. Huius vitae species, in qua contemplatio cum actibus coniungebatur, nova illis temporibus fuit res quae reprehensiones aversionesque genuit, sed ab Episcopo Varmiensi fulta est qui anno MDLXXXIII Congregationis Sororum a S. Catharina Virgine et Martyre regulam comprobavit, quae, Dei Serva prudenter sollicitaque moderante, celeriter crevit, ipsaque laetanter tres novas domos religiosas variis in locis insuper condidit. Hac de causa novae rerum conditioni normae fuerunt aptandae, quas anno MDCII ecclesiastica potestas comprobavit. Sua industria suaque Institutione Dei Serva, indefessa in Domini vinea operaria, suam dedit operam ut Ecclesia post Concilium Tridentinum renovaretur, quae simul Evangelii lumen Christique caritatem in illius temporis societatem immisit. Antistita veluti generalis sui Instituti, materna sollicitudine suas sorores coluit, quibus paulo antequam moreretur scripsit: « Hoc humiliter materneque moneo, ut omni tempore in Deum Dominum nostrum et in nostrum carissimum Sponsum Iesum Christum ac pariter in omnes homines, observantia venerationeque, altissima humilitate, vera patientia, perfecta oboedientia, christiano amore, tendatis ». Itemque ipsa easdem cohortabatur ut fraterne inter se diligenter pacificeque cum omnibus se gererent. Certo ordine claustra invisebat, labores patienter talerans et difficultates itinerum necnan eximiarum suarum virtutum deferens quaquaversus fragrantiam. Spectabili fide mulier pro Dei gloria animarumque salute operata est. Christianam doctrinam pueris puellisque tradidit, instituens sic futuras christianas matres. Erga Eucharistiam Virginemque Mariam devotionem fovit. Super omnia Dominum, pauperes, aegrotos, iuvenes, peccatores amavit, pro quorum salute Deo preces paenitentiasque offerebat. Prudens Congregationem temperavit per consilia quae sororibus praebebat atque per subsidia eligenda quibus ad vitam aeternam iretur. Spem suam in Dea Providentiaque posuit atque in precatione, apostolatu, continentia, temperantia, paupertate atque in cunctis officiis adimplendis erga Iesum Christum, Ecclesiam animasque perseveravit. Cum morba implicaretur qui ei mortem intulit nihil impatientiae ostendit semperque se in Dei voluntatem versam exhibuit. Die XVIII mensis Ianuarii anno MDCXIII, meritis onusta sanctitatisque fama circumfusa, in Domina obdormivit. Beatificationis canonizationisque Causa anno MCMLXI agi coepta est atque die XVII mensis Decembris anno MCMXCVI Nos declaravimus Ipsi Dei

Servam heroum in madum virtutes theologales, cardinales iisque adnexas exercuisse. Exinde Nobis coram die VI mensis Aprilis anno MCMXCVIII decretum super miracula prodiit, in Brasilia anno MCMLXI facta eiusque intercessioni adscripto. Statuimus idcirca ut beatificationis ritus die XIII mensis Lunii anno MCMXCIX Nostris pastoralis in Polonia itineris tempore ageretur. Hodie idcirca Varsaviae inter Missarum sollemnia formulam hanc protulimus: «Spełniając życzenie naszych braci Józefa Glempa, Arcybiskupa Metropolity Warszawskiego, Juliusza Paetza, Arcybiskupa Metropolity Poznańskiego i Bronisława Dembowskiego, Biskupa Włocławskiego, jak również wielu innych braci w biskupstwie, oraz licznych wiernych, za radą Kongregacji Spraw Kanonizacyjnych, naszą Władzą Apostolską zezwalamy, aby odtąd Czcigodnym Sługom Bożym: Reginie Protmann, Edmundowi Bojanowskiemu, oraz Antoniemu Julianowi Nowowiejskiemu, Henrykowi Kaczorowskiemu, Henrykowi Koplińskiemu, Mariannie Biernackiej i stu czterem towarzyszom męczennikom z okresu drugiej wojny światowej, przysługiwał tytuł błogosławionych, i aby ich święta obchodzona w miejscach i w sposób określony przez prawo. Dla Reginy Protmann będzie to corocznie 18 stycznia, dla Edmunda Bojanowskiego 7 sierpnia, dla Antoniego Juliana Nowowiejskiego, Henryka Kaczorowskiego, Aniceta Koplińskiego, Marianny Biernackiej i stu czterech towarzyszy męczenników z okresu drugiej wojny światowej dzień 12 czerwca. W imię Ojca i Syna, i Ducha Świętego ». Quae autem his Litteris decrevimus nunc et posthac rata et firma esse volumus, contrariis rebus minime obstantibus quibuslibet. *Datum Varsaviae, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis Lunii, anno MCMXCIX, Pontificatus Nostris vicesimo primo. De mandato Summi Pontificis*

ANGELUS card.

SODANO

*A.A.S., vol. XCII (2000), n. 1, pp. 32-34 © Copyright 1999 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana